


2/2001

IDIBVS OCTOBRIBVS

MMI



TOMVS 24

FASC. 138

## IMPRESSUM

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA HELVETICA, in aedibus, quibus nomen EDITIONS DU LAC est, editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos annos editur.

Editio: CCC

Pretium subnotationis (annuum):

In Helvetia CHF 27.-

In ceteris Europae terris CHF 32.-

In terris trans maria sitis US\$ 30.-

Singula specimina qui rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Ulrich (Udalricus) Aeschlimann, lic. phil. I

Dr. med. W.F. Ebel (AMICVS)

Estelle (Stella) Gitta

Barbara Maier

Martinus Meier

Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum legentibus publicandarum curat: Estelle Gitta

Typographeum: Gasser Graphische Unternehmung AG, Rapperswil

RV mittit: Christina Meier-Portner

Epistulae, mandata mittenda sunt ad domum editoriam: RVMOR VARIVS, C/o EDITIONS DU LAC, Estelle Gitta

Ch. François-Lehmann 2, 1218 Grand-Saconnex

E-mail: [e.gitta@bluewin.ch](mailto:e.gitta@bluewin.ch)

[www.aeschlicity.ch/rumor\\_varius](http://www.aeschlicity.ch/rumor_varius)

Institutum pecuniarium:

UBS, Zürich-Oerlikon

U. Aeschlimann, RVMOR VARIVS, P7-642.719.0

## IMPRESSUM

RVMOR VARIVS wird von der SOCIETATE LATINA HELVETICA, bei den EDITIONS DU LAC herausgegeben. RV est publié par la SOCIETATE LATINA HELVETICA aux EDITIONS DU LAC

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal jährlich/paraît 6 fois par an

Auflage/tirage: 300

Abonnementspreise/prix de l'abonnement (jährlich/annuel)

Schweiz/Suisse CHF 27.-

Europa/Europe CHF 32.-

Uebersee/outre-mer US\$ 30.-

Einzelne Probenummern sind gratis erhältlich

Des spécimens peuvent être obtenus gratuitement

Redaktionsteam/équipe rédactionnelle:

Ulrich Aeschlimann, lic. phil. I

Dr. med. W.F. Ebel (AMICVS)

Estelle Gitta

Barbara Maier

Martin Meier

Daniel Weissmann

Grafik und Layout/graphisme et layout: Estelle Gitta

Druck/impression: Gasser Graphische Unternehmung AG, Rapperswil

Expedition/expédition: Christine Meier-Portner

Verlagsadresse/adresse de la maison d'édition RVMOR VARIVS, c/o EDITIONS DU LAC, Estelle Gitta

Ch. François-Lehmann 2, 1218 Grand-Saconnex  
E-mail: [e.gitta@bluewin.ch](mailto:e.gitta@bluewin.ch)

[www.aeschlicity.ch/rumor\\_varius](http://www.aeschlicity.ch/rumor_varius)

Bankverbindung/institut bancaire:

UBS, Zürich-Oerlikon

U. Aeschlimann, RVMOR VARIVS, P7-642.719.0

# PRÆFATIO

## Amicae et amici nostri!

Die 23. mensis Iunii anno MMI nos, sociae sociique Societatis Latinae Turicensis, in vicum nomine Oensingen apud Salodurum situm convenimus ad concilium habendum, quod omni anno agere solemus.

Quo in concilio nonnulla munera inter nos aliter disposuimus et novo modo distribuimus. Quas propter mutationes accidit, ut hunc libellum secundum huius anni autumnum ineunte tandem – plus quam medio anni iam praeterito – accipiatis. Sed ceteri libelli mox sequentur!

De rebus, quas decrevimus, vos certiores iam facturus sum:

Christina Meier, quae per XX fere annos impressum et dispositionem graphicam (Layout) curavit, hoc munus deponere cupivit. Optime accidit, ut Stella Gitta non dubitaret se ad hoc officium suscipiendum paratam esse declarare. Totam dispositionem graphicam computatro utens in officina sua Genavae conficere poterit.

Christina Meier autem subnotationes et expeditionem cursualem libellorum et aerarium porro administrabit.

Stella magno applausu electa Udalricus Aeschlimann, creator RUMORIS VARII et praeses Societatis Latinae Turicensis, dixit se munera sua alicui minori natu et recentioribus novisque viribus praedito committere velle. Stella Gitta hoc quoque munus suscipere parata erat. Omnibus laete consentientibus Stella praeses Societatis Latinae Turicensis creata est et omnia officia, quibus adhuc Udalricus Aeschlimann functus erat, suscepit. Udalricus autem socius collegii redactorum permanebit. Praeterea RUMORIS VARII conditor et creator, sine quo nostrum periodicum parvum non esset, a collegis et amicis maximo applausu Societatis Latinae Turicensis praeses honorarius in aeternum creatus est.

Ad haec, cari legentes, legite etiam scripta hanc praefationem sequentia, quae Udalricus Aeschlimann ipse composuit!

Quia sedes domus editoriae RUMORIS VARII non iam Turici est, decrevimus nomen Societatis Latinae Turicensis (SLT) in SOCIETATEM LATINAM HELVETICAM (SLH) mutare.

Sociae et socii ceteri, Barbara Maier et Martinus Meier, suis muneribus fungi pergunt. Daniel Weissmann porro munere moderatoris fungetur et scripta nobis missa accipiet et publicanda curabit. Itaque symbolas vestras – ut adhuc – ad eum mittatis quaesumus.

Ne obliviscamini argumenti nostri, quod in libello 1/2001 proposuimus, rogamus! Est 'De autocineto'. Symbolas vestras ad hoc argumentum pertinentes nobis, si fieri possit, usque ad Kalendas Decembres mittatis. Maximas gratias!

Omnibus collegis et pristinis et novis muneribus fungentibus maximas gratias ago. Non dubito, quin RUMOR VARIUS etiam nova administratione vivat, floreat, crescat. Nos omnes operam dabimus, ut haec efficere possimus.

Valete!



Daniel Weissmann

In hac imagine a Denis Feyeux delineata videtis socias sociosque RUMOREM VARIUM edentes: Stella Gitta, Udalricus Aeschlimann, Martinus Meier, Barbara Maier, Daniel Weissmann, Christina Meier



## **Gaudete, cari legentes! Stella Gitta nova moderatrix electa est!**

Cari legentes

Anni currentis aestate ineunte die XXIII<sup>o</sup> mensis Iunii nos, socii sociaeque Societatis Latinae Turicensis RUMOREM VARIUM edendum curantes convenimus in hortum casae Christinae Meier-Portner in vico Oensingen prope Salodurum sitae. Ibi laeta liberalique mente, ut omni anno facere solemus, de sorte futura Societatis Latinae Turicensis (SLT) - et una cum illa etiam RUMORIS VARII – deliberavimus. Non dubito, quin de multis rebus, quas illo conventu decrevimus, et amicus noster Daniel Weissmann vobis narraturus sit; quam ob rem hoc loco pauca tantum narrare velim, quae hic sequuntur:

Inter alia nobis erat disserendum de quaestione, quam collegis meis proposui ita: «Qui moderator, quae moderatrix aliquando», eos interrogavi, «cursum futurum vitamque futuram et Societatis Latinae Turicensis et commentariorum, quibus nomen RUMOR VARIUS, reget? Illo munere nunc iam XXIII annos fungor – ab illo enim anno (iamdudum praeterito!) MCMLXXVIII<sup>o</sup>, quo RUMORI VARIO vitam inflaveram, usque ad hos nostros dies.

Erat profecto hoc munus mihi semper iucundissimum, tamen mihi iam LVI annos nato nunc tempus idoneum advenisse videtur, quo id munus meum denique alicui nostrum minori natu tradam! Quam ob rem vos omnes, qui in hoc horto pulcherrimo una mecum considitis, rogo: 'Quis vestrum me gubernaculo liberare velit?

Nonne fortasse tibi, cara Stella – ut te exemplo nominem, id facere placeat?»

Ubi haec interrogavi, primum omnes socii operis unus alterum, una alteram aspiciebamus per aliquod temporis silentes. Tum Stella Gitta ipsa, quam tam directo modo interrogaveram, silentium rupit: «Tibi in hoc

munere», respondit cum natura modestissima, tum voce minima, «libenter succedam, si omnes, qui adsunt, consentiunt.»

Ita evenit, ut omnes, qui aderam, Stellam nostram iuvenilem, maximis viribus optimisque cogitationibus praeditam et Societati Latinae Turicensi anno praeterito sociam adscriptam, magno applausu novam moderatricem et Societatis Latinae nostrae et commentarii periodici nostri, cui nomen RUMOR VARIUS, eligeremus multis verbis gratulantes.

Quo eventu tam felici, qua solutione tam feliciter inventa egometipse felicissimus sum, cari legentes! Non modo, quod Stella me munere, quo diu functus sum, denique liberare ausa est, sed imprimis cum non dubitem, quin ea sortem futuram Societatis Latinae Turicensis (cuius nomen praeterea in novum, id est 'Societas Latina Helvetica', vertere decrevimus) et periodici nostri RUMORIS VARII multos annos optime recitura sit!

Valete!

Udalricus Aeschlimann  
(nunc iam pristinus) moderator

## **Aristophanis et Menandri comparatio**

Numquam maiore taedio professorem affici atque aegritudine constat, quam suorum inanitate conatum animadversa ac perspecta.

Nemo prorsus est e magistris, quin istiusmodi passus sit haud semel tantum in vita sua amaritudines.

Quod vero ad me pertinet ipsum, impensissimam consuevi frustra navare operam, ut Graecas Latinasque litteras penitus perspectas tenacissime discipuli perdiscant.

Quam fuse, exempli gratia, per mensem solidum de effreno Aristophanis disserui turpiloquio, ad Atheniensium exsuscitandos spectatorum cachinnos maxime idoneo!

Mentionem, ut par est, de Phidippide illo per quietem pedente feci, dum misellus parens Strepsiades aeris alieni conflati rationem subducens som-

num capere nequit.

Nec de servo illo Xanthia loqui praetermisi, se pedere minitante incepturum, nisi pondera, quae ferre cogeretur immodica, aliqua saltem ex parte Dionysus adlevavisset.

Ne Praxagorae quidem oblitus sum commemorare maritum, qui uxoria veste indutus in publica cacans via inducitur.

Discipulos magnopere delectatum iri ea tempestate putaveram, qua mutuniatum Cinesiam Myrrhinam uxorem nequiquam temptantem in opere, quod 'Lysistrata' inscribitur, hilariter cognovimus.

Nec laboris minus studiique in Menandro per tres hebdomadas tractando postea impendi, praesertim cum praeclaras eius illustrarem sententias, quales, e.g., 'Quem di diligunt, praemature ille moritur' vel 'Quam pulchra res homo est, si homo re vera sit!'

Quanti probos mores poeta ille existimavisset, complura afferendo exempla demonstravi, sive de Cnemone illo mentionem faciendo, quem odii in ceteros homines temere concepti tandem paenituit, sive de meretrice Abrotono, quae coniuges litigantes reconciliari maluit quam lucrum ex istiusmodi dissensione inhonestum percipere.

Plurimum interesse inter liberiolem Aristophanis obscenitatem et cogitandam Menandri gravitatem satis me perspicue docuisse opinabar. Ad Plutarchum nuperrime transiremus oportuit. De viro integerrimo agi explanavi, qui uxoris liberorumque exstitit amantissimus, qui Delphico per viginti annos functum esse sese sacerdotio merito gloriabatur, qui vehementiore flagrabat ira quotienscumque deorum violata neglectaque erat maiestas, qui ut translatici servarentur mores praedicationem indefessam vulgabat.

Ubi igitur ad opusculum illud pervenimus, quod 'Aristophanis et Menandri comparatio' inscribitur, discipulos meos serena tali modo confidentia interrogavi: «Utrum ex istis comicis veri simile est tam bene moratum scriptorem pluris fecisse?»

Minime nimirum dubitabam quin rectam universi daturi essent respon-

sionem.

Quanto igitur percussus sim maerore, ubi una omnes fere voce 'Aristophanem' conclamaverunt, ne mente quidem fingi potest, nedum convenientibus verbis exprimatur!

Colaphos capiti ipse meo imegi innumeros, quod cum istiusmodi nebulonibus tempus perperam perdere pergo.

Orestes Carbonero

## In lucem proditum...

*G. Immè, Novae fabulae, coll. Babel-Nova (Latine scire, gradus primus), Neapoli, Italibri, 32 pp.*

Magistri professoresque plerique linguae Latinae, materias Latinitatis doctissime quidem tractant traduntque accuratissime explicatas, sed ipsum usum linguae Latinae tractationibus et explicationibus prolixis prorsus postponunt, immo talis rei tempora esse transacta identidem asserunt et asseverant. Quae dum fiunt inconcusse, surgunt improviso alteri, quibus praeter philologiae peritiam perfectam etiam ipse usus linguae vivus tam in scribendo quam in loquendo maxime est cordi.

Hoc pericundo libello, qui tantum 2,5 EUR constat, ut omnis discipulus libellum suum proprium habere possit, non solum «Novae fabulae» lepidae a Genovefa Immè Latine conscriptae discipulis idoneaeque (fabulae faciliores factae in eodem libello iuxta legi possunt), sed etiam exercitia nonnulla magistris proponuntur. In summa exspectatione proximi libelli sumus. Vivat linguam Latinam!

*Italibri, C.so Campano, 35 – I-80034 Marigliano (Napoli).*


[italibri@netgroup.it](mailto:italibri@netgroup.it)



...libellum vobis proposuit Stella GITTA

# RANARIA

Ad sententias restituendas legendae sunt tantum litterae inter duas vocales et inter duas consonantes sitae.



P	H	A	S	V	L	V	T	S	V	A	F
S	C	A	E	V	O	L	A	E	D	R	L
V	S	V	N	A	L	O	I	R	O	C	V
T	V	S	V	T	V	R	D	S	G	V	T
A	C	O	R	P	C	A	L	T	E	R	A
N	I	C	L	E	O	P	A	T	R	A	T
N	F	V	L	V	C	V	L	L	V	S	I
I	A	S	S	V	L	V	G	E	R	A	V
C	B	S	V	I	E	P	M	O	P	N	S
N	I	G	I	L	S	O	R	E	C	I	C
I	V	I	C	C	V	R	I	A	T	I	I
C	S	V	C	L	A	V	D	I	V	S	S

Indiciis datis hoc in quadrato vocabula possunt legi a vertice (deorsum aut sursum), in transversa (sinistrorsum aut dextrorsum) vel oblique (deorsum aut sursum). Cum omnia verba expuncta erunt, licebit vobis ad libram legere nomina scriptorum qui has fabulas duas composuerunt.

## VERBA INVENIENDA

1						Albanorum rex, pater Numitoris Amulique	
2	B	R	V	T	V	S	Caesare interfecto Antonius vestem eius sanguinolentam ostentans populum furore inflammavit.
3						Consul factus Catilinae coniurationem compressit	
4						Cum ei ab ostio quaerenti ancilla dixisset Ennium domi non esse, ipse, cum ad eum venisset Ennius, exclamavit se domi non esse.	
5						Ita cognominatus quod in alio proelio oculum amiserat, is pro ponte sublicio stetit et aciem hostium solus sustinuit.	
6						Ibant sex et trecenti milites, omnes patricii, omnes unius gentis: unus omnino superfuit ex ea gente.	
7						Ad iusiurandum conservandum in arcam ligneam inclusus, in qua undique clavi praeacuti eminebant.	
8						Caput eius velamine involutum ad Caesarem delatum est.	
9						Qui dixit se hodie cenaturum esse apud se	
10						Ante proelium auspicia habuit. Cum pullarius ei nuntiasset pullos non vesci, iussit eos in aquam mergi, ut saltem biberent, quoniam esse nollent.	
11						Consul qui finem primo bello Punico imposuit.	
12						Dextram accenso ad sacrificium foculo iniecit.	
13						Trigemini Albani ab Horatio victi	
14						Aspidem ipsa brachio applicuit.	
15						Pastor regius qui Romulum Remumque educavit.	
16						Romanus e gente patricia ut proditor a Volscis occisus	
17						Ad boves rediit triumphalis agricola	

Estelle GITTA

## De re botanica scientificae

Nihil adeo elaboratum conficiunt homines, quod non aliqua ex parte imperfectione laboret. Obstacula multa variaque sunt; et imprimis lingua. Nullus botanista valet scire duo milia modernarum linguarum, quibus plantae possint describi. Rem bene intellexit Carolus Linnaeus, Suetus qui lingua Latina utitur simplici, scientifica, ambiguitatis experti. Haec tamen: nonnulla vocabula botanica hodie in usu iam in Plinii Historia Naturali leguntur, sed satis multum differt inter sensus antiquos et hodiernos. Non solum vocabula antiqua novam acceperunt significationem, sed etiam vocabula nova condidit Linnaeus sicut ovarium, ovulum et cetera.

Methodus plantas describendi magnum affert momentum ad artem medicam rite excolendam. Itaque saeculo XVIII Ordo Medicorum Marburgensis, Guilielmum IX, qui non solum rem medicam instruxit theatro anatomico, xenodochio obstetricio, instituto clinico, theatro zootomico, sed etiam horto botanico et laboratorio chemico, conditorem suum grato agnoscit animo.

Hortus, rei botanicae ab anno 1786 dicatus, cui Conradus MOENCH praefuit, ut aedificiis necessariis, ita etiam cultura destitutus erat. Sequenti anno hybernaculum, habens longitudinem LXXX pedum et XXX pedum altitudinem, in tria conclavia divisum, exstructum, hortusque ipse idoneam expertus est culturam. Situs eius, ad meridiem spectantis, est inaequalis, a planitie in monticulum versus septentrionem surgens; quod illum culturae plantarum, hunc vel illum situm requirentium, paulo aptiorem reddit. Montes altiores a meridie et septentrione illum includentes, ventorum vim mitigant. Aquam aquario, et plantis aquaticis colendis praebet rivulus, «die Kezerbach» dictus, hortum praeterfluens. Solum habet plurimorum hortorum Marburgensium, hoc est, arenosum. Autumno anni 1787 primae plantae, sub dio perennantes, in hortum

sunt introductae; sequenti vero anno illae, quae hybernaculum requirunt, additae fuerunt. Per sex igitur annos hortus hic botanicus culturam expertus est; et «iam tantam continet plantarum multitudinem, quanta in omnibus, longo iam tempore cultis, eius generis hortis, non ubique cernitur» scripsit Conradus in libro c. t. est «Methodus plantas horti botanici et agri Marburgensis a staminum situ describendi». Et auctor: «in illo, plus quam ducentas omisi, quoniam flores nondum explicaverunt, et mihi cum non licuerit illas aliis in hortis florescentes inspicere, non satis certum sit, an sint, pro quibus habeo, necne. Et descriptio talium plantarum rei herbariae non prodest».

Multum praeterea operae restat, illis ipsis plantis navanda, quae iam, sed non satis accurate sunt descriptae. Ardua enim res est accurata, et omnibus numeris absoluta plantarum descriptio, imprimis propter multarum plantarum similitudinem.

Descriptionem plantarum a staminum situ, quam immortalis plantarum perscrutator GLEDITSCHIUS stabilivit, in suo libro sequitur Conradus Moench. Cumulavit quidem numerum classium, sed non temere, idoneis potius de causis. Situs staminum alternans constanter a natura fundatus, singularem ei videbatur deponere ordinem: e. g. Silene. Hoc plantae genus, cum aliis eiusdem conditionis plantis a Gleditschio ceteris classibus fuit subordinatum.

Par ratio est situs Staminum nectariis LINNAEI insertorum. Nectaria autem Linnaei figura valde variant: foucolae petalorum, et receptaculi glandulae, rimae, petala figura diversa, omninoque varia ad florem spectantia corpuscula, nectarii nomine a Linnaeo sunt nuncupata. JUSSIEU vero illa iam bene isto nomine, quod figura capiunt, appellavit.

Illa igitur petala, inter florum petala collocata, sive sint libera, sive cum ipsis connata, ceterum forma, respectu petalorum, diversa, nomine parapetalorum appellavit Conradus. Plantae igitur, quibus stamina ita sunt inserta, ordinem requiunt singularem.

Ordinem plantarum cryptogamicarum non mutavit Moench. Subdivisiones classium, quas Gleditschius secundum systema sexuale Linnaei proposuerat, aliter confecit. Genera ad eandem classem pertinentia, primum constituuntur a staminibus, vel liberis, vel connatis; deinde ab antheris, vel liberis, vel connatis. Cum sedes ovarii sive sit supera sive infera, multum ad accuratam plantarum cognitionem prosit, eius etiam respectum habuit Conradus noster.

Figura porro fructus optimam et maxime naturalem praebet subdivisionem. Cum denique plantae exoticae non omnibus annis fructus proférant eosque ad maturitatem perducant, in iis describendis et petala et calicem et parapetala in auxilium vocavit Conradus. Ea quae petalorum calicum figurae propriae sunt, non adnotavit, nisi in caractere generico. Hoc tantum notavit, utrum corollae aut calices sint mono- vel polyphylla; itemque an corollae, calices et parapetala adsint, necne.

Quid sit calyx? quid corolla? In plurimis plantis ardua quaestio est. Responsiones, has plantarum partes definientes, hucusque prolatae, nodum minime solvunt. Conradus Cl. MEDICUM sequitur, nisi fallor. Corolla, sic dicta, si alium, quam viridem habet colorem, a Conrado etiam ita nominatur, si autem viridis est, calycem appellat. Alii aliter sentiunt. Multa nova plantarum genera, necessitate coactus, confecit Conradus noster: «Mihi persuasum est, ex iis ipsis, quae discrevi, generibus, adhuc nova posse constitui». Cunctas enim fructificationis partes singularum plantarum, sub uno eodemque genere contentarum omnino convenire necesse est. Ex unica tantum fructificationis parte signum sumere genericum noluit Conradus, cum notas praebeat facile confundendas. Si vero plures fructificationis partes, inter se consentientes, ut ex Cl. Medici genere plantarum constat, ad genus aliquod stabiliendum, conferuntur, tunc verus character genericus conficitur, qui naturam melius delineat.

Quid? Si plantae adeo diversae, tam corolla quam calyce et numero staminum et fructuum figura, sub uno eodemque genere collocantur, hoc

summas rei herbariae tenebras affundit, eique lucem, quam quaerimus, magis detrahit quam accendit.

Genera Linnaeana, praesertim ex plurimis plantis confecta, potius accumulata sunt, ut quisque a partium studio alienus certe profitebitur, nisi de superficiali duntaxat plantarum cognitione sermo sit.

Plantas ad ista genera pertinentes, neutiquam omnes inter se convenire, sciunt harum rerum periti. Descriptionem naturae esse debere consentaneam, quis ignorat? Aut descriptio probanda est, quae formam praebet, cui exemplum deest?

Summa consensio omnium fructificationis partium speculum proponit naturae, quod nobis inspiciendum est, nec aliter aut loqui, aut delineare debemus. Itaque Conradus: «Malo millia genera rite determinata perscrutari, ex iisque plantam ignotam eruere, quam ex quinquagintis, male descriptis, et accumulatis plantis inter se invicem minime congruentibus, unam exquirere».

Ceterum, quod ad errores pertinet, nobis in memoriam revocare debemus, nullam in hac mortali hominum conditione dari perfectionem, nullumque finem in natura corporum indaganda.

Vobis rettulit Stella GITTA

## Facete lepideque dicta

Lulia, agricolae filia, glorians matri narrat: «Hodie opus bonum commisi!» - «En, quale?», mater interrogat. Tunc filia: «Cum vicina nostra iam aetate provecta coenautocinetum<sup>1</sup> sumere vellet, sed tardius iret, canem nostrum in eam incitavi. Et, ecce, coenautocinetum<sup>1</sup> attigit!»

In taberna duo viri inter se sermocinantur. Alter: «Violinam<sup>2</sup> clavili<sup>3</sup> praefero.» Alter: «Nonne es musicus?» - «Nullo modo; sum portator suppellectilium.»



Vir Esquimensis<sup>4</sup> nuper matrimonio iunctus nocte nuptiali peracta uxore osculata nec non canibus sclodiae<sup>5</sup> praecinctis: «Bene valeas, corcule. Novem mensibus post iterum adero obstetrice arcessita!»

Caledonius quidam furibundus uxori: «Coenautocinetum<sup>1</sup> non attigi et itaque totum iter post id cucurri.» Uxor: «Optime! Sic multae pecuniae pepercisti!» - «Certe, sed multo pluri pepercissem, si post taxiraedam<sup>6</sup> cucurrissem!»

Fridericus et Ioannes inter se disputant. «Quam inventionem saeculi optimam putas, Ioannes?» - «Lagoenam caldariam<sup>7</sup>, scilicet!» - «Cur, hercle, lagoenam caldariam?» - Ad quae Ioannes: «Si aestate theam<sup>8</sup> frigidam feceris, thea post complures horas frigida esse non desinet. Sin autem hieme theam calidam feceris, thea calida manebit.» Fridericus: «Quid autem hac in re mirandum est?» - Tunc Ioannes: «Unde lagoena scit, utrum hiems sit an aestas?»

Duo amici anates venaturi sunt. Alter sclopetat<sup>9</sup>, anas statim ei ante pedes cadit. Tum amicus: «Bene sclopetasti, amice, sed ictus supervacuus erat, nam de hac altitudine cadens anas nullo modo superstes fuisset.»

Susannulam in valetudinarium<sup>10</sup> transportatam nosocoma<sup>11</sup> interrogat: «Estne tibi vestis nocturna?» Tunc Susannula: «Vestisne nocturna? Nisi fallor, medicus mihi inflammationem appendicis esse dixit.»

Duabus puellis in coenautocinetum<sup>1</sup> invicem frequentantibus altera: «Hoc coenautocinetum iam per quattuor annos vehor.» Altera tunc miranda: «Difficile creditu! Ubinam terrarum id conscendisti?»

Magister discipulo minitans: «Cum pater tuus istud testimonium viderit, capilli cani ei crescent!» Discipulus: «Tunc valde gaudebit, quia calvus est.»

«Nonne nuper dixisti te uxori tuae de parsimonia referre velle?»

Amica Martinae: «Te ferias in Hispania egisse audivi. Nonne tibi difficile erat verba Hispanica proferre?» - Martina: «Minime, sed Hispanis intellegere!»

Magister Carolo: «Statim cummem manducandam<sup>12</sup> ex ore removeas et abicias!» Carolus: «Hoc fieri non potest, quia Henricus eam mihi mutuam dedit.»

Martin Meier

<sup>1</sup> coenautocinetum, -i (n) = Autobus

<sup>2</sup> violina, -ae (f) = Geige

<sup>3</sup> clavile, -is (n) = Klavier

<sup>4</sup> vir Esquimensis, -i -is (m) = Inuit (früher: Eskimo)

<sup>5</sup> sclodia, -ae (f) = Schlitten

<sup>6</sup> taxiraeda, -ae (f) = Taxi

<sup>7</sup> lagoena caldaria, -ae -ae (f) = Thermosflasche

<sup>8</sup> thea, -ae (f) = Tee

<sup>9</sup> sclopetare = (mit einem Gewehr) schießen

<sup>10</sup> valetudinarium, -i (n) = Spital

<sup>11</sup> nosocoma, -ae (f) = Krankenschwester

<sup>12</sup> cummis manducanda, -is -ae (f) = Kaugummi

## Liceat nobis agere serio levia, seria iocose

Nemo est qui non aliquando sentiat se maiore mentis impetu in aliquam rem incubuisse quam ut, arcus instar, propter nimiam intensionem non infringatur. Puerorum praesertim mentes adeo imbecillae sunt, ut intentus continuusque labor ab eis exigi non possit, sed aliquid relaxationis eis tribuere oporteat. Quosdam tamen magistros invenias, qui laborem ludosque miscendos credant; quod forsitan verum sit, si quis parvos discipulos intueatur, sed maiores tantum abest ut utile esse putem inter laborem ludendo remitti, ut mihi contra expedire videatur eis persuadere laborem in se ipso tantum delectationis habere, ut nulla alia voluptate egeat.

Rettulit Stella GITTA

## **Nec unum hoc me scire, me nihil scire**

«Hoc testimonium dare possum», Augustinus THIERRY ait, «inter res humanas unam et corporis voluptatibus et divitiis et ipsi valetudini prosperae praestare, quae in scientia colenda consistat.» Haec tamen: omnis philosophiae fundamentum in rebus duabus positum est, quod et animus cognoscendi cupidus est et infirmiores oculi; nam, si tibi acriores essent oculi quam sunt, utrum stellae soles essent totidem mundos illustrantes necne, satis perspiceres; sin autem cognoscendi minus cupida esses, ista scire non curares, quod eodem sane recideret; sed plura volumus scire quam videmus, unde res solvi non potest. Attamen quae videmus si recte videremus, haec saltem cognita forent; nunc vero ea longe aliter ac sunt videmus. Itaque vere philosophi eo animo aetatem agunt, ut quae videant, ea non putent esse, quae non videant, coniectura percipere conentur; quorum ego condicionem non ita cupiendam arbitror.

Duo sunt inveniendae veritatis media miseris humanis; quandoquidem res per se scire non possunt, quas si intelligere, ut deberent, possent, nulli alio indigerent medio, sed, cum hoc nequeant, adiumenta ignorantiae suae adinvenere: quibus propterea nil magis sciunt, perfecte saltem, sed aliquid percipiunt discutuntque. Ea vero sunt experimentum iudiciumque. Et vide ex hoc nihil sciri. Experimentum fallax ubique, difficileque est: quod etsi perfecte habeatur, solum quid extrinsece fiat ostendit, naturas autem rerum nullo modo. Iudicium autem super ea, quae experimento comperta sunt, fit. Quod proinde et de externis solum utcumque fieri potest, et id adhuc male; naturas autem rerum ex coniectura tantum, quas quia ab experimento non habuit, nec ipsum quoque adipiscitur, sed quandoque contrarium aestimat. Unde ergo scientia? Ex his nulla.

At non sunt alia. Quot experimenta habere potest homo? Sat pauca. Quomodo ergo super pauca recte iudicium ferat? Nullo modo. Plura —

immo omnia — enim vidisse oportet, ante quam recte quis iudicet. Quod in causa est ut qui hodie opinabatur, mane aliud iudicet, immo et quod nunquam putarat, fateatur. Ut ergo huic obvient incommodo homines, scilicet defectui experimenti, adinvenere scribendi rationem, ut quae hic illeve expertus sit tota vita et variis locis, brevi tempore alter discat, sicque consultum est nostri saeculi hominibus, qui plurimum vitas, acta, inventa, expertaque pauca mora perlegentes, aliquid de suo insuper addunt, hisque alii. Tum et de dubiis iudicium proferunt. Itaque augetur ars, nil tamen magis scientias iuvat. Libri confusi, breves, prolixi, totque ut, si centena millium centum viveres annorum, non sufficerent legendis omnibus: quique in pluribus mentiantur, saepissime gloriae causa aut fulciendae opinionis. Statimque sequitur de intelligendis eis questio, et quas nunc rettulimus omnes. Ita ut dum aliquid scire quaerimus, ad homines conversi et eorum scripta, naturam dimittimus insipientesque simus.

Sed ponamus experta ab illis vere referri. Quid prodest mihi alterum haec aut illa expertum fuisse, nisi haec eadem ego ipse experiar? Fidem parient mihi illa, non scientiam. Proinde et maior litteratorum numerus his temporibus fidelis quidem est, non sciens, quippe qui ex libris quidquid habent hauriant, non adhibito iudicio rerumque experimento ut decet; sed creditis his quae scripta invenit hisque suppositis, aliis atque aliis illatis, male iacto fundamento. Nil ergo scimus.

Rettulit Stella GITTA

## **Non semper sunt aliorum exempla afferenda**

Olim medicus quidam militaris parum diligenti corporum inspectione statuebat, utrum iuvenes in illa regione habitantes conscribendi essent necne. Rusticum eundemque inurbanum iis omnibus sese ostendebat, ut delicatae indolis adulescentes primo statim congressu intellexerent, quot et quantas ibi difficultates obituri essent.

Cum pastor subrufus in conspectum eius primus venisset, ex eo fastidienti impatientia medicus more solito sciscitatus est: «Num qua corporis tui parte infirmus es?» Cui balbo ore caprarius ille tremebundus respondit: «Ex stomacho, domine probatissime, nonnumquam laboro». At medicus, quasi impia prolata essent in deum maledicta, indignabundus ac subiratus: «Quid ergo?» inquit «An satis causae istud esse arbitremur, cur stipendiis merendis haud idoneus iudicaris? Centurio quoque ex stomacho interdum laborat, haud secus atque succenturio, neque istiusmodi umquam impediti sunt ineptiis, quominus in acie animose pluries decertarent». Talia edens verba, optiones duos, qui forte inspectioni aderant, capitis nutibus digitisque monstravit.

Tum vero, vel priore timidior, ex media conscribendorum turba pistoris famulus prodiit obesus, qui, simili modo ab inspectore interrogatus: «E cruribus» inquit «necnon e tergore, optime medice, qua sum infelicitate, ipse laboro.» Incohibili excandescens ira, superbus ille medendi artis peritus elata voce clamavit: «Mene irrisui ludibrioque habere unanima hodie sententia universi constituistis? Quibusnam, cedo, defensoribus res publica, in extremo discrimine iacens, niteretur ac propugnatoribus, si tam futilibus de causis conscribendos dimitti tirones liceret? Ceterum centurionem quoque et succenturionem consimili nonnumquam valetudine affici premique, socordissime iuvenis, scito, nec tamen impediri, quin pro patria, si fors ferat, mira fortitudine pugnent.»

Tertius tandem accessit, oculis distortis labiisque valgis, lanionius puer tauro quam homini similior. Cum idem ex eo, atque ex aliis, medicus indiligenter quaesivisset, tam titubanter labans, ut humi paene procumberet, sic vervex ille respondit: «Me... me dementem.... atque ingenio omnino hebetatum....parentes ac propinqui a pueritia prima esse praedicaverunt.» Naturali quodam automatoque impulsu ad centurionem succenturionemque conversus, quos pro exemplaribus in tolerando dolore afferendis assumpserat, imprudentia verba formulae ritu eruptura tempore opportuno medicus revocavit; dein, semigigantem illum contemptibili miseratione intuitus: «Te ad arma» inquit «capienda stipendiaque merenda minime idoneum esse censeo».

Orestes Carbonero

## «Vanitas vanitatis»

Quidnam ego his in terris egi? Ad vivendum natus eram; iam autem adest mors; at nondum vixi. Mortem homo maestus obiit, cum ob hoc ipsum quod obiret, tum vel maxime quod prius obiret quam esset id assecutus quod et praecipuum et extremum sibi proposuisset. Imprimis autem constituendum est quos nos et quales esse velimus, et in quo genere vitae, quae deliberatio est omnium difficillima. Ineunte enim adolescentia, cum est maxima imbecillitas consilii, tum id sibi quisque genus aetatis degendae constituit, quod maxime adamavit. Itaque ante implicatur aliquo certo genere cursuque vivendi, quam potuit quod optimum esset iudicare. Plerumque autem, parentum praeceptis imbuti, ad eorum consuetudinem moremque deducimur.

Placuit enim mihi doctoris condicio, cum sperarem fore ut sub doctissimo illo magistro in medicina illustris evaderem. Qui me domum extemplo deduxit, ut officio quod mihi destinatum esset fungi inciperem; hoc autem debebam efficere, ut eorum nomina domiciliaque inscriberem qui eum aegrotantes, dum foris esset, arcessissent. Erant ad hoc domi tabulae, in quas anus quaedam ancilla, quam unam loco familiae habebat, ubi habitaret quisque referebat; sed illa, praeterquam quod orthographiam nesciebat, tam male scribebat ut quae scripsisset intellegi saepissime non possent. Itaque hunc mihi librum ille procurandum mandavit, quem iure mortuorum codicem nominare quis posset, quoniam quorum nomina ego acceperam, fere omnes ii moriebantur. Nam homines, ut ita dicam, adscripsi qui in alterum mundum proficisci volebant, ut famulus in publicarum raedarum statione eorum nomina scribere solet, qui certos sibi locos elegerunt. Saepe quidem mihi in manu calamus erat, quia nullus id temporis fuit medicus qui maiore gratia quam doctor ille valeret. Qui famam apud populum et per garrulitatem quamdam speciosam cum severissimo vultu coniunctam et per felices nonnullas curationes consecutus erat, e quibus maiorem sibi quam pro meritis honorem comparaverat.

Fabellam rettulit Stella GITTA

## DE THILO CUSTODE FERRIVIAE

Studiolum novellisticum anno 1887 a Gerhart HAUPTMANN  
Theodisce scriptum («Bahnwärter Thiel») et anno 1997 a  
Nicolao GROSS Germano Coreanensi in Latinum conversum

### Narrationis pars septima et ultima

Tum Thilo visum est cerebro suo aliquid instillari simile laccae sigillariae, ut torpor animi discuteretur. Resipiscens audivit tremulum sonum campanae nuntiae repercussum.

Subito intellexit, quid misset facturus: manus eius soluta est de gutture infantis, qui palpitabat ab eo comprehensus. - Infans respirare annitebatur, turn coepit tussire et clamare.

«Vivit! Deo gratias ago, vivit!» Infante relicto properavit ad transitum. Nidor obscurus e longinquo ferriviae obvolutus vento humum depressus est. Post se audivit sonos machinae anhelos, quales crederes edere gigantem aegrotum carptim et aegre respirantem.

Super plagam erat diluculum frigidum.

Paulo post nubibus fumi discedentibus Thilus cognovit tramen silicum, quo ochimis vacuefactis redeunte operarii transportabantur, qui die in ferrivia laboraverant.

Hoc tramen, cui spatium temporis vectorii magnum constitutum esset, ubique consistebatur, ut reciperentur operarii hic illic occupati, aliique exponerentur. Procul a Thili capanna inceptum est refrenari. Silentium vespertinum longe pervasum est magna quiritatione, crepitatione, clangore, stridore, usque dum tramen consisteret edito unico sono stridulo et diuturno.

Quinquaginta fere operarii operariaeque distributi erant in ochimas apertas. Fere omnes constiterunt recti, nonnulli virorum capitibus apertis. Omnibus eorum vultibus et gestibus inerat sollemnitas quaedam aenigmatica. Custodem conspicati nonnulli eorum coeperunt susurrare.

Vetustiores fumacula tabacaria e dentibus flavis egesta reverenter manibus tenebant. Hic illic mulier aliqua versa nares emungebat. Dux traminis descendit ad ferriviam adiitque Thilum. Operarii viderunt eum Thilo sollemniter dextram porrigentem, postea Thilus lento incessu fere militariter duro adiit ad currum ultimum.

Nullus operarius ausus est eum alloqui, quamvis omnes eum novissent. Tum e curru ultimo sublatus est parvus Tobias.

Qui erat mortuus.

Lena secuta est; cuius facies e caeruleo alba, oculis mulieris circumiecti erant circuli fusi.

Thilus eam ne semel quidem dignatus est aspicere; Lena autem marito aspecto est territa.

Thili malae erant macilentae, eius cilia barbaeque pili squalentes inter se cohaerebant, sulcus capillorum mulieri visus est incanuisse. In facie ubique vestigia lacrimarum, quae aruerant, praeterea in oculis lux quaedam vaga, qua mulier perhorresceret.

Feretrum quoque iterum allatum erat, ut corpus mortuum transportaretur.

Paulisper silentium erat formidulosum. Thili animus captus erat vasta meditatione horribili. Tenebrae abortae sunt. Agmen caprearum seorsim ingressum est aggerem ferriviae. Capreus mas mediis in orbitis constitit. Qui collum flexile curiose circumvertit, tum machina sibilante fulguris instar una cum grege evanuit. Hoc momento temporis, quo tramen coepit moveri, Thilus collapsus est. Tramen iterum constitit et incohata sunt consilia de rebus agendis. Constitutum est, ut corpus pueri mortuum interim collocaretur in casa custodis eiusque loco custos, qui nullo modo poterat redanimari, feretro adhibito ferretur domum.

Ita factum est. Duo viri feretrum gesserunt, cui impositus erat vir animo relictus; feretrum secuta est Lena, quae singultire non desinens facie lacrimis offusa chiramaxium per harenam propulsabat, cui inerat filiulus minor.

Luna inter pinuum scapos ad marginem silvae sita erat tamquam ingens globus igneus purpureusque. Quo altius movebatur, eo magis videbatur deminui, eo magis pallescere.

Denique eadem ampullae similis super silva pependit, per omnes fissuras et lacunas cacuminum pellens nidorem luminis remissum, quo facies incedentium impingerentur colore lurido.

Propere, sed caute processerunt nunc per arbores iuveniles coartatas; tum praeter culturas altis arboribus circumdatas, in quibus lumen luridum collectum erat tamquam receptaculis magnis et obscuris.

Thilus mentis expers interdum anhelabat aut hariolabatur. Compluries manus comprimebat et studebat surgere oculis clausis.

Aegre contigit, ut trans Spraviam ferretur; flumen iterum traiciendum erat, ut uxor et filius apportarentur.

Cum ascenderunt parvum acclive vici, inciderunt in nonnullos incolas, qui statim effunderent nuntium infortunii.

Cuncti coloni confluerunt. Aspectis hominibus sibi notis Lena iterum coepit lamentari.

Aegrotus per scalas angustas in habitaculum aegre sublatus in lecto collocatus est. Operarii statim reverterunt, ut afferrent corpus Tobiae mortuum.

Veteres homines periti suaserunt, ut adhiberentur cataplasmata frigida, quibus Lena obsecuta est sedule et circumspecte. Quae posuit manutergia in aqua putei praegelida eademque renovavit, ubi primum fronte flagranti viri exanimati percaluerunt. Lena anxie observabat aegroti respirationes, quae sibi videbantur in minutas horae placidiores fieri.

Mulier sollicitationibus huius diei lassata constituit, ut paululum dormiret; sed quiescere non poterat, sive oculos aperiebat sive claudebat, iterum iterumque iisdem obveniebant res antea factae. Parvulus dormiebat. Quem aliter ac solito parum curaverat. Prorsus mutata erat, nullum restiterat vestigium veteris contumaciae. Ita, ea regebatur ab hoc viro aegroto faciei pallidae, sudore nitidae.

Globus lunae nube obtectus est, ut conclave obtenebresceret et Lena nihil audiret nisi maritum graviter, sed aequaliter respirantem. Lena deliberavit, num lumen accendendum esset. Mulier coepit in tenebris formidare, cum surrectura esset, oculis clausis et omnibus membris gravescentibus obdormivit.

Nonnullis horis lapsis viri cum corpore pueri mortuo reversi invenerunt ianuam domus late apertam. Qua re stupefacti per scalas ascenderunt in habitaculum superius, cuius ianua etiam erat late aperta.

Mulier compluries advocata non respondit. Denique, cum ramentum flammiferum parieti attrivissent, luce emicante patefactum est habitaculum horribiliter vastatum.

«*Homicidium, homicidium!*»

Lena sanguine suo offusa erat, facie foedata, calvaria diffracta.

«*Occidit uxorem, occidit uxorem!*»

Perturbati circumcursabant. Vicini venerunt, quorum aliquis incidit in cunas. «*Caelum sanctissimum!*» Vicinus repulsus est, pallidus, oculis terrore torpidis. Ibi infans positus erat iugulatus.

Custos evanuerat; eadem nocte factae sunt perquisitiones, sed frustra. Postridie mane alter custos Thilum invenit inter orbitas ferriviae illo loco sedentem, quo Tobiolus erat tramine obtritus.

Thilus brachio tenebat fuscum pileolum villosum eundemque non desinebat mulcere atque palpare, quasi esset aliquid animatum.

Custos nonnulla ex eo quaesivit, sed nullo responso accepto mox animadvertit se agere cum homine insano.

Custos ad obicem officio fungens certior factus telegraphice rogavit de auxilio. Nunc complures viri illum benevole adhortantes conati sunt ex orbitis elicere, sed frustra.

Tramen rapidum, quod eo tempore praetercurrebat, sistendum erat; insanus, qui mox coepit terribiliter furere, ne vi quidem de ferrivia potuit removeri nisi demum accedente maiore multitudine virorum ferriviariorum.

Vinciendae fuerunt Thili manus pedesque et astyphylax interim requisitus custodivit eum Berolinum in phylacam inquisitoriam transportandum, unde primo iam die translatus est in Nosocomii Caritatis partem mente captis destinatum. Cum traditus est nosocomis, adhuc manibus retinebat fuscum pileolum, quem custodiebat aemula cum diligentia et amore blandissimo.

FINIS


Nicolaus Gross  
Germanus Coreanensis

Vocabularium breve verborum rariorum recentiorumve  
in libello 1/2000 RUMORIS VARII publicatum est!

## Facete lepideque delineata



— Ubi libertas, ibi patria!



— Pax tamen interdum est,  
pacis fiducia numquam

★ Stella

Subnoto RV, ut ipse accipiam  
(Ich abonniere RV für mich selber)

\_\_\_\_\_

\_\_\_\_\_

\_\_\_\_\_

Subnoto RV DONO DATUM ei, cuius  
inscriptio cursualis supra indicata est  
(Ich abonniere RV als Geschenkabonne-  
ment für jemanden, dessen Adresse oben  
angegeben ist): -----

Factura subnotationis mittenda est ad inscrip-  
tionem cursualem infra indicatam (Die Abonne-  
mentsrechnung ist zu senden an):

\_\_\_\_\_

\_\_\_\_\_

\_\_\_\_\_

Ort, Datum: \_\_\_\_\_

Unterschrift: \_\_\_\_\_

Hier bitte  
frankieren

RVMOR VARIVS  
C/o EDITIONS DU LAC  
Estelle GITTA  
Ch. F.-Lehmann 2  
1218 Grand-Saconnex


PP/Journal

4702 Oensingen

2/2001

IDIBVS OCTOBRIBVS

MMI



TOMVS 24

FASC. 138